

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg
Flachs, Sigismund Andreas**

Lipsiae, 1714

VD18 11446064

§. XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

deinde eas, quæ ex Gadis, tertio, quæ ex Rubenis. Sed decem nostrorum MSSorum Zabulonitarum civitatibus Rubenitarum subjungunt, ac tertio Gaditarum urbes ponunt, conformiter libris Græcis, Hebraicis, Chaldaicis. Eo etiam ordine Testatus enarrat: Atque hoc est, quod Epanorthotes dicit, postquam de Rubenis tribu egerat. Hæc Fr. Lucas, qui porro addit Correctoris notam, quæ ita sonat: Item F. Nota, quod illud, quod dicitur de tribu Ruben ultra Jordanem, quidam antiqui & Hebræi & Latini non habent hic, videlicet de quatuor civitatibus, quas tradiderunt Levitis; Alii novi & Hebræi & Latini: sed & satis antiqui habent. His addimus novem MSSos Codices, quos Bibliotheca nostra Acad. in Paulino custodit, qui omnes nostros versus legunt. Primus est membranaceus in grandi folio no. 9. notatus, antiquissimus & accuratus, qui versus prædictos eodem ordine, quo Hebræi, exhibet, & præterea, *bosor in solitudine misor*, legit, rectius quam excusi codices. Secundus pariter membranaceus no. 4. notatus, etiam Rubenitarum urbes illis Gaditarum præponit, & omisso *Misor*, tantum, *Bosor in solitudine*, legit. Reliqui sex Codices, inter quos quinque membranacei & unus chartaceus, nullo numero distincti, nostros quidem versus exhibent, sed ordine inverso, ita, ut Rubenitarum urbes illis Gaditarum subijciantur. Cum his convenit quoque Codex bombycinus, ut traditio fert, S. Brigittæ, quem laudata bibliotheca quoque asservat. Hæc vero versionum Latinarum discrepantia nos docet, diversos adfuisse Codices Hebræos, ex quibus quidam nostros versus exhibuerunt, alii eosdem omiserunt, quod nobis sufficit. Divina providentia prohibuit, ne omnes fontes hac erroris labe contaminarentur, licet illa quædam exemplaria infecerit.

§. XXI.

Quod in MSSis vidimus, illud quoque in impressis experimur. Qui Latina Biblia conferunt, vident, nostros versus, de quibus controversia est, in quibusdam Codicibus tribui Gaditarum præponi, in aliis vero eidem postponi. In Sixti V. Anno 1590. promulgatis Bibliis aliisque antiquioribus versus nostri sese hoc ordine excipiunt:

F

v. 36.

v. 36. De tribu Gad civitates confugii Ramoth in Gilead, & Manaim, & Hesebon & Jazer, civitates quatuor cum suburbanis suis.

v. 37. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Hericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor & Jazer, & Jethson & Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis.

In editione vero Clementis VIII. aliisq; recentioribus versus hi immutato ordine conspiciuntur, dum vers. 37. præponitur versui 36. Cujus differentie causam hanc esse opinamur, quod versus 37., qui secundum quosdam Codices Hebræos a librariis erat omisus, ab aliis librariis juxta diversos ab illis Hebræos in pluribus MSSis in marginem sit restitutus. Inde factum, ut recentiores librarii pristinum ejus locum ignorantes, eundem tribui Gaditarum postposuerint. Præterea eadem fere, quæ ex Versionibus Græcis rescuimus, etiam ex Latina juxta veritatem Hebraicam sunt eliminanda. Ipsi Pontificii errores Vulgatæ h.l. emendant. 1) *ULTRA JORDANEM CONTRA HERICHO CIVITATES REFUGII*, rejicit, Mariana in scholiis, quia nec Hebraica sunt, neque in Gotth. neque in Regiis sese offerunt. Et videtur, idem addit, ex margine in contextum migrasse. Sed etiam illud, *CIVITATES REFUGII*, Hebraic. non est, nec Chald. Septuaginta Interpretes tamen posuere. 2) Pergit idem Mariana, *IN SOLITUDINE MISOR* Hebr. non est, sed huc translatum ex Cap. XX. v. 8. 3) *ET JASER, ET JETHSON, ET MEPHAATH*, Mariana ad hebraicam veritatem ita emendat: *Bosor cum suburbanis suis, & Jazza cum suburbanis suis, & Cedemoth cum suburbanis suis, & Mephaath cum suburbanis suis, civitates quatuor.* Unde colligitur, pergit, nostra videri h.l. esse vitiosa, cum ponantur civitates quinque, si singulas numeres; ac nec summa prodit 48. urbium, quas Levitis datas ait, v. 40. Itaque illud in solitudine Misor, nec Hebr. est, nec Chald. nec in septuaginta virali, in Gotth. vero multo aliter, legitur, quam in nostris, sed ibi vitiosè. Hæc Mariana. Superfluum ducimus addere, quæ Henricus Bukentopius in Luce de Luce p. 160. circa nostros versus monet, qui inter ea, quæ Romanæ Ecclesiæ, ejusque visibilis Capitis censuræ subjicit, etiam nostros versus refert p. 526. Et merito quidem tollenda sunt menda, librario-
rum

rum culpa admissa, & ad hebræum Codicem, quem jure optimo lucem appellat, quique omnes versionum tenebras dispellit, corrigenda. Nam, uti bene loquitur G. J. de *Quareux*, librorum Cenfor Apostolicus ac Regius, in censura allegati libri p. 535. *per originalis linguæ textus genuinum S. Scripturæ sensum, qui in quamplurimis Vulgatæ Latinæ locis, propter ambigua verba occultatus latet, solerter eruit, & clare proponit. Insuper germanam & sinceram Vulgatæ lectionem contra Amanuensium oscitantiam, & typographorum incuriam atque ignorantiam confirmat & stabilis.* Utinam nostris Lutheranis eadem mens & peritia esset, germanicam nostram versionem pari modo interpretandi.

§. XXII.

Si quæ hæcenus dicta sunt, in compendium redigantur, manifestum esse putamus, versus in controversiam adductos legi in quibusdam MSS. Codicibus Hebræis, Chaldaicis & Latinis, nec non in omnibus Græcis, Arabicis, Syriacis & Æthiopico. Ex quibus, uti nobis videtur, valide infertur, eosdem olim in Codicibus Hebræis locum invenisse. Præter has rationes aliæ firmissimæ in sacro textu haud obscure latent, quæ eosdem omnibus Codicibus impostero imprimendis restituendas esse docent. Primo loco observandum, quod Cap. XXI. v. 40. Scriptor sacer dicat: Meraritis pro familiis suis datas esse civitates xii. Deinde v. 34. idem refert, de tribu Zabulon illis datas esse quatuor, v. 38. de tribu Gad datas esse iisdem urbes pariter quatuor; nisi itaque urbes quatuor Rubenitarum in nostris versibus recensitas iisdem Meraritis datas esse dixeris, sequetur, octo, & non duodecim urbes Meraritas accepisse, quod contra mentem & Scriptoris intentionem. Si dixeris, quatuor urbes Rubenitarum esse subintelligendas, nihil dicis, Scriptor sacer duodecim urbes in collectione earum v. 40. enumeravit, nullasque subintellexit. 2) Si allegati Capituli xxi. versum 7. legas, videbis scriptorem dicere; Filiis Merari non solum de tribu Gad & Zabulon, sed etiam de tribu Ruben urbes esse datas duodecim. Nisi itaque in enumeratione istarum urbium etiam tribum Ruben recensitam esse dixeris, non de tribus sed de duabus tantum tribubus urbes Meraritis esse datas fatearis necesse est, quod contra expressam Scripturæ literam, v. 7. 3) Advertendum est, Scriptorem libri Josuæ v. 41. diserte dicere: Levitis in possessione Israelitarum datas esse civitates quadraginta octo. Si vero nostras

urbes